DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

PANACEA,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXX. D. SEPTEMBR.

Publicæ ac placidæ eruditorum ventilationi subjiciet

AUCTOR RESPONDENS

MATTHIAS INSTITORIS,

NOBILIS HUNGARUS NEOSOLIENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO NOBILISSIMO,
EXPERIENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

CAROLO OTTONI

MOLLER,

MEDICINÆ DOCTORI,

INCLYTORUM COMITATUUM ZOLIENSIS ET THUROCIENSIS PHYSICO ORDINARIO,

NEC NON

LIBERÆ REGIÆ MONTANÆQUE CIVITATIS NEOSOLIENSIS

SENATORI SPECTATISSIMO GRAVISSIMOQUE

UT ET PER PLURES HUNGARIÆ COMITATUS PRACTICO CELEBERRIMO,

PATRONO ET FAUTORI SUO

ÆSTUMATISSIMO,

D. D. D.

AUTHOR.



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



I quis vires intellectus sui, perscrutandis rebus, a summo sapientissimoque Architecto creatis, consecrare velit, amplissimum inveniet campum, in ipsa inprimis contemplatione ordinis, quo mediante, quicquid in hoc Universo deprehenditur conservatur. Ut enim paucis saltem rem illustrem. Quis non videt, omnia sidera, globumque terræ, certo tempore, certoque modo motum suum absolvere. Animalium, vegetabilium, minerarum & metallorum durissimorum generatio ac maturatio, a certis causis, tempore, modoque cuilibet convenienti ac proprio dependet. Cum vero de singulis his agere prolixum foret, unicum saltem hac vice, hominem scilicet, tanquam objectum artis Medicæ ad considerandum proponam. Hujus

actiones non modo animales, sed & vitales, ut secundum certam regulam fierent Divino Numini placuit. Concessit ei præ reliquis animalibus præstantissimum illum thesaurum rationis, eidemque simul Legem Naturalem, ceu normam actionum, indidit. Anima præterea, corpus sibi commissum secundum certas regulas alit, nutrit, conservat, læsumque pristinæ sanitati restituere conatur. Cum autem non semper scopum hunc consequi poterit, Medico, tanquam Naturæ Ministro incumbit, ut illi succurrat, quod nulla ratione felicius suscipit, quam, si ordinem Naturæ consuetum sequutus fuerit. Irritus quapropter vanusque est illorum conatus, qui corpus humanum a quacunque causa læsum, unico solummodo remedio, indiscretim sanitati restituere adlaborant. Diversissimas enim esse causas, quæ corpori nostro nocere possunt, nemo ignorat; hinc diversi quoque effectus, diversa remedia exposcunt. Vanitatem itaque illorum, qui Medicinam ejusmodi Universalem seu PANACEAM, proprie sic dictam statuere atque defendere non erubescunt, declaraturus, constitui dissertatione hac 1) Naturam & indolem Panaceæ quadantenus exponere, & 2) impossibilem ejus existentiam ex fundamentis Medicinæ demonstrare. DEUS vero T. O. M. gratia sua adsit, ut propositum hoc meum in ejus gloriam, patriæque emolumentum cedat.

§. I.

§. I.

ORdo itaque, antiquis anima rerum dictus, requirit, ut antequam ad tractationem ipsam materiæ dissertationis hujus me accingam, vocis Panaceæ ἔτυμον paucis exponam. Est vero vox hæc, ut & aliæ denominationes quamplurimæ in scriptis & scholis Medicorum frequenter occurrentes, græca, & quidem ex παν, omne, & ἀκέομαι, sano, medeor, composita. Ita, ut vi vocis nihil aliud denotet, quam medicamentum universale, contra omnes morbos, ex quacunque causa ortos.

§. II.

Patet jam vel ex ipso saltem vocis significatu, speciosum, imo nullo pretio redimendum medicamentum hoc futurum, modo in rerum natura existentia quædam ei concedi posset. Sed quemadmodum circa alias res quamplurimas magnus quotidie abusus observatur, ita nullo tempore defuerunt, qui non in arte inprimis salutari, vel circa terminorum technicorum usum, vel ipsas inventiones & compositiones medicamentosas, hallucinati fuissent. Error autem hic, partim ignorantiæ, partim malitiæ hominum istorum adscribendus est. Hæc eos impellit, ut sub specioso Panacearum nomine merces suas eo citius divendere, vel etiam, ut hac ratione orbi innotescere possint. Legimus quidem in antiquissimis Medicorum scriptis, vocem hanc jam illis temporibus in foro medico fuisse receptam, nunquam tamen proprio sensu sumtam, ut scilicet indifferenter contra omnes morbos prodesse crederetur medicamentum nomine hoc insignitum. Ita priscis temporibus variæ compositiones a potiori & κατ' ἐξο-

χὶν sic denominatæ fuerunt, quod nimirum plurimis, sed non omnibus morbis mederentur. Galeno (*a*) antidotus quædam Panacea dicta fuit; ut & alia, quæ & stichus vocabatur. (*b*) Alibi emplastrorum meminit, eodem nomine insignitorum, e. g. Epuloticon Andromachi (*c*) nec non Heræ. (*d*) Aurum vero potabile antiquos pro medicina universali non habuisse, scripta illorum testantur. (*e*) Si enim experientia comprobatum deprehendissent, illud omnibus indicationibus satisfacere, injurii fuissent in posteros, quibus relicta ejusdem vera descriptione, tam facilem, compendiosam & certam curandi viam revelare noluissent. Successu vero temporis, propter multorum ignorantiam & ineptam applicationem, vox hæc in abusum venit; siquidem plurimi vires remediorum non satis accurate inquisiverunt, hinc si præter illorum expectationem prospere cessit, id mox ad universalitatis apicem evexerunt. (*f*) Observavit hoc suo jam tempore Penotus, (*g*) dum rudes ejusmodi sequentibus verbis corripit: **Unsere gemeine Rotte der Aertzte, kommen in ihrer einfältigen Thorheit daher gedrollet, nehmen güldene Ketten, Gold-Gülden, und dergleichen, glühen die und löschen sie dann ab in einem Wasser, und unterstehen sich einen Gesod-Tranck zu brüddeln, daß**

(*a*) L. II. de Antidot. cap. 1.
(*b*) L. VII. de C. M. S. L. c. 2.
(*c*) L. II. de C. M. P. G. c. 15.
(*d*) L. V. c. 2.
(*e*) vid. Arnold. de villa nova, Raymund. Isaacus Hollandus.
(*f*) Ettmüller Tom. I. pag. 151.
(*g*) in tract. cui tit. Theophratisch Vade mecum. pag. 62.

daß dick und dünne durch einander gehet. Es kömmt aber gleichwohl bißweilen auch Honig darzu, oder sonst ein gutes Brühlein, geräths wohl, so muß auch Wein dabey seyn zu einer sonderlichen Stärckung derer *Spirituum* und vornehmsten Haupt Gliedern: Wann nun das hohe *Narcanum*, darinne das Gold so künstlich abgelöschet, das Sauspulicht zur Welt gebohren, so wirds mit einem sonderbahren hohen *Titel* und Nahmen getaufft, heisset *Apobamma*. Lieber, sage mir doch einer, woher kommt in diese Kühe Suppen die Stärckung des Hertzens, vielleicht von dem Wust, so zuvor die Hände an dem Golde kleben lassen, und damit vermischet hat. Nec desunt ætate etiam nostra agyrtæ ejusmodi, circumforaneique, quorum numerus indies fere augetur, quique non cessant, ignorantia sua mendaciisque nobilissimam hanc artem conspurcare. Hi enim utplurimum Panaceas tales se possidere mentiuntur, atque non tantum vulgus, sed illos quoque qui ultra vulgus sapiunt, persvasionibus eo adducunt, ut omnem fidem illis adhibeant. Hic inprimis locum invenit, notissimum illud dicterium:

Fingunt se Medicos quivis Idiota, Sacerdos,
Judæus, Monachus, Histrio, Rasor, Anus,
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator
Vult medicas varias quivis habere manus.

Cum vero, per longam satis experientiam, a Medicis demonstratum sit, rationi & experientiæ repugnare sententiam illorum, qui Panaceas statuunt & defendunt; si hinc quis sub Panacearum nomine, remedia Polychresta, non neglecta methodo convenienti, in usum vocet, neminem contrarium inveniet. Heroica talia remedia ex Cinnabarinis, Antimoniatis, Solaribus, Mercuria-

libus

ſibus &c. parantur. (*i*) Frequenti hinc in uſu adhuc eſt vox hæc Panaceæ Medicis ætatis noſtræ celeberrimis. Ita Cel. D. D. Fr. Hoffmannus, (*k*) Aquæ ſimplici hoc elogium tribuit, eamque medicinam univerſalem compellat. Eſſentia dulcis Hallenſ. per totam fere Europæam celebris, quatenus in omnibus morbis tanquam cordiale & confortans tuto propinatur, ita, ut licet non ſemper, variantibus nonnunquam circumſtantiis, finem exoptatum aſſequatur, nunquam tamen damnum etiam aliquod corpus ex ejus congruo uſu capit. (*l*)

§. III.

Hujus autem remedii Univerſalis denominatio, quam hactenus paucis vidimus, magis ab effectu eſt deſumta, quem in propulſandis omnis generis morbis exercet. Videamus porro Synonyma ejusdem, quæ potius ſubjectum reſpiciunt, ex quo Panchreſtum hoc medicamen paratur. Hæc vero non minus ac Aurum ipſum ſpecioſa ſunt. Sic enim communiter Arcanæ Philoſophiæ addictis, Lapis Philoſophorum audit, quique hunc adepti ſunt, præſtantiſſimam *medicinam poſſident*, omnibus *metallis infirmisque ſimul* proficuam. (*m*) Et,

Confectus Lapis omnigenæ Rex ille medelæ
Invictis Panacea potens virtutibus una
Quâ non eſt toto Medicina ſalubior orbe,

Pnevma-

(*i*) vid. Wedelius in compend. Chym. p. 208.
(*k*) in Diſſert. de Aqua Medicina Univerſali anno 1712. ed.
(*l*) vid. D. Richteri tract. Erkäntniß des Menſchen, Part. II. p. 726.
(*m*) Secundum teſtamentum Hadrianeum.

Pnevmatica partes penetrans vi corporis omnes
Sumpta vel unius ſaltem ſub pondere grani. (*n*)

Et cum medicamentum hoc ipſam animam auri in ſe continere putatur, h. e. a Sulphure ejusdem fixiſſimo reliqua duo principiata, Sal ſcilicet & Mercurium, puriſſimum, vinculo fere indiſſolubili conectente, impraegnari, Tinctura dicitur Auri, Eſſentia Solaris, Elixir Solare, Aurum potabile, Quinta eſſentia Auri, arcanum Sulphuris, Auri. Hadriano a Mynſicht (*o*) Unicornu Solare dicitur. Quercetano audit Aurum vitae, Laudanum Mercuriale Bayero, & quae ſunt aliae denominationes quamplurimae, propter diverſos & peculiares modos parandi, ſingulis Authoribus proprios, admodum variantes.

§. IV.

Praemiſſis his, videndum porro, quale medicamentum primi impoſitores proprie ſub nomine Panaceae intellectum voluerint. Quod optime ſieri poſſe exiſtimo, data definitione reali, naturam ejusdem genuinam comprehendente. Eſt vero πανακεία ſecundum mentem illorum, remedium contra omnes impetus morboſos, ex quacunque cauſa ortos, directum, ex ſubſtantia Solari Sulphurea, aut mineris ad auri naturam propius accedentibus, paratum, ut beneficio ejusdem, non tantum cauſae praeſentes morbificae cito, tuto & jucunde debellari, ſed imminentes quoque declinari poſſint, adeo, ut corpus animale ſemper in debita ſua temperie permaneat. Dixi, eſſe remedium univerſale, quo ipſo reliqua polychreſta, ſpecifica, excluduntur.

(*n*) Sub finem ejusdem.
(*o*) in Armament. Med. Chym p. 4.

duntur. Sed, quemadmodum Panchresta, sine ullo rationi convenienti fundamento statuuntur, uti paulo infra sum demonstraturus, ita nec de his posterioribus asseri potest, ea secundum mentem vulgi medicorum, sine ullo habito respectu ad subjecta, ætatem, temperamentum &c. pluribus aut unico saltem morbo, vel certæ cuidam corporis parti, certissimum ac plane divinum adferre auxilium posse. Placet hac de re, verba Celeb. D. D. Hoffmann. (*p*) in medium proferre: *hujus generis remedia*, inquit, *ac Panaceæ, quæ certissimos ac exoptatissimos semper præstent effectus in curatione morborum, nullatenus dantur. Neque extare medicamenta, quæ omnibus, satis faciunt morbi indicationibus certo colligi potest, quia non tantum pro dispositione humorum causæ unius morbi variæ & discrepantes, sed & indicationes auxiliorum sunt diversissimæ.*

§. V.

Quum vero materia, de qua agere suscepi, examini quoque chymico subjicienda est, e re mea esse arbitror, hac prius via, in naturam indolemque ejus esse inquirendum. Pergo itaque ad ipsam materiam Auri, qua reclusa præstantissimam illam, & tot tantisque elogiis a filiis sapientiæ decantatam medicinam, parare consveverunt. Auri metallum hic intelligo, quodcunque, sive illud sit nativum aut artificiale, modo genuinas Auri qualitates vere possideat, ut nimirum sit corpus purissimum, pondere reliqua metalla superans, maxime ductile atque fixum, coloris flavi. Purissimum sit oportet, nullis heterogeneis partibus

(*p*) in Diss. de Medicamentis Specific. eorumque agendi modo habit. 1694.

bus inquinatum: quod facile ex colore & gravitate cognoſcere licebit. Omnia quippe metalla ignobiliora pondere ſuperat, ob Mercurium defæcatiſſimum, denſiſſimumque. Nam, quemadmodum Sal, quo & Aurum uti reliqua metalla gaudet, corpori ejusdem intime eſt junctum, ut non facile ob acidam ſuam naturam a quavis humiditate ſolvatur, a reliquis principiis ſibi aſſociatis disjungatur, inque crocum ſeu rubiginem convertatur; ita Mercurius quoque ob anguſtiſſimos poros & vinculum, quo cum ſulphure puriſſimo eſt connexum, in ipſo quoque igne culinari vehementiſſimo, in altum non adſcendit. Ex hoc fundamento etiam patet, aurum ſecus ac alia metalla, ob principium ſuum mercuriale compactiſſimum, Mercurio communi injectum, fundum petere. Non defuerunt hic nonnulli, qui elementum inprimis Salinum auri, ut & omnium reliquorum metallorum in dubium vocare ceperunt, ſtatuebantque, metalla nil aliud eſſe, quam ſecundum Wedelium *(q)* Mercurium vario charactere diverſificatum. Sed maximopere falluntur. Licet enim nullam mentionem Salis faciat, id tamen eo ipſo non excludit, dum Sulphur Vitriolicum admittit. Sulphur hoc aliis ſubſtantia dicitur terreſtris, Becchero lapis fuſilis audit *(r)*. Interim cum induſtria experientiſſimorum virorum in ſcientia naturali tantos progreſſus fecerit, ut experimentis inſtitutis ad oculum demonſtrari poſſit, aurum in ſe verum Sal fovere, hodie neminem amplius de eo dubitare perſvaſus ſum. Unicum illud experimen-

(q) Pharmaciæ acroamaticæ p. 85.
(r) Phyſic. ſubterran. L. 1. Sect. III. c. 2.

tum ope ſpeculorum cauſticorum Tſchirnhuſii a Dn. Hombergero inſtitutum (*s*) omnes contradicentes refutat. Horum quippe beneficio, auri corpus, vinculo prius Sulphuris per radios ſolis concentratos diſrupto, in vitrum albeſcens convertitur, manifeſto indicio Sal eidem ineſſe. Ad vitrum enim qualecunque producendum Sal & terram requiri, neminem latet. Sed cum materia hæc jam ab aliis fuſius ſit pertractata in variis ſcriptis, eidem diutius immorari ſuperſedeo. Conſuli interim poteſt de Sale Vitriolico Auri Baſilius Valentinus Boyle (*t*) ope Salinæ cujusdam ſubſtantiæ Cryſtallos auri ſe impetraſſe, perhibet, quarum etiam Bohnius (*u*) meminit. Inprimis autem legi meretur diſſertatio D. Rothii Pract. Lipſ. de Salibus metallicis.

§. VI.

Ad corpus itaque auri compactiſſimum ſolidiſſimumque deſtruendum, inque ſua principia reducendum milleni modi procedendi ab authoribus traduntur, librique de illis fere innumeri proſtant, a quorum tamen lectione ſæpe quis indoctior & impedito atque obfuſcato magis intellectu recedit. Hinc etiam ſæpiſſime fit, ut plurimi, neſcio quales, theſauros in ſcriptis ejusmodi obſcuris ſe invenire poſſe arbitrentur, &, ſi unam vel alteram locutionem hieroglyphicam reſerarint, atque intellexerint, nullo labori, nullis ſumptibus parcant, eventu tamen ſæpiſſime in contrarium cedente, adeo ut auro nimium volatili-

(*s*) Hiſtor. Acad. Pariſ. an. 1702. p. 47.
(*t*) in Chymiſt. ſcept. p. 14.
(*u*) diſſ. chym. XI. §. 6.

latilisato, nimiumque exaltato, nil nisi fumum, nulla vestigia auri fixi relinquentem, cernere possint. In eo conveniunt omnes, ut ante omnia aurum ab impuritate externa vel admixtis peregrinis particulis metallicis, purgetur, mediante vero quo id peragi debeat, plurimi variant. Quivis enim artifex modum sibi consvetum laudat aliisque commendat. Habent itaque nonnulli in more, ut cementatione ab eodem separent cuprum. Alii cupellatione metalla impuriora, præter argentum, ab auro abigunt. Quartationem porro quidam in usum vocant, ubi aurum cum triplo vel quadruplo argenti miscetur, granulatur, tandemque Aqua Forti dissolvitur. Inprimis vero methodus Basil. Valentini commendatur, qua aurum beneficio Antimonii purificatur, qua de causa etiam lupus ab eodem dicitur. Hunc laborem excipit alter, scilicet amalgamatio secundum eundem authorem qui sex labores statuit, sequentibus verbis: **Sechs Städte** (h. e. Sex labores) **durchwandelt der König, am himmlischen** *Firmament*, **aber in der Siebenden behält er seinen Sitz. Denn der Königliche Saal ist daselbst mit güldenen Stücken behangen.** Amalgamatione peracta solvitur; posthæc destillatur & volatilisatur, a menstruo liberatur, coagulatur, invisibileque antea redditur visibile, tandem reducitur atque ad Tincturam extrahendam adaptatur. Angelo Salæ tribus actibus totus processus absolvitur 1) calcinatione 2) solutione magistrali & 3) coagulatione. Dum vero calcinationis apud authores fit mentio notandum, eos non intelligere proprie de auro; siquidem idem calcinatum in pulverem subtilissimum & impalpabilem attenuatur, ve-

ramque calcis formam mentiatur, cum tamen ſemper priſtinæ ſuæ formæ reſtitui poterit, quod corporibus vere calcinatis non contingit e. g. calci lapidum. Cum itaque aurum nulla vi ignis communis, unanimi omnium chymicorum conſenſu, deſtrui poteſt, illorum opinio cadit, qui contrarium aſſerunt. *Quodſi enim vere calcinari ſtatueretur, conſequens neceſſario eſſet, quoniam in illa calcinatione, ſubſtantiæ humidæ & glutinoſæ, ſive mercuriales & Sulphureæ auri deperderentur, ſubſtantiaque tantum Salina cum terra aridiſſima & ſicciſſima ac qualitatibus ignis abunde imbuta, reliqua fieret: quod aurum ita mercurio ſuo & ſulphure ſpoliatum, etiam virtutum, quæ ab optima compoſitione & temperamento ſubſtantiarum invicem conjunctarum pendent, una fieret vacuum* (*x*) Et licet aurum per addita Salia adeo immutetur, ut nulla amplius ejus veſtigia cerni poſſint; ſi tamen in manus experti artificis incidant, iterum reſtitui, atque in unum corpus liquari poteſt. Calcinatio autem hæc duplici ratione inſtituitur, via ſcilicet humida, quæ & immeſſiva dicitur, peragiturque mediante aqua Regia; & via ſicca ſive cementatoria, ope ignis, adhibitoque pulvere cementatorio.

§. VII.

Magnopere etiam diſceptatur circa menſtruum aurum ſolvens. Dum enim quidam corroſiva, corpori humano maxime inimica, abeſſe debere putant, inſipida potius illis ſubſtituunt, iisque non ſecus ac per acriora menſtrua auri corpus compactiſſimum in minimas partes reſol-

(*x*) Angel. Sala. Chryſol. p. 130.

resolvere conantur. Menstruum itaque tale ex rore majali, aqua pluviali, nive &c. conficiunt. Sed quicquid etiam sententiæ hujus patroni in medium proferre possent, id tamen certum multaque experientia comprobatum manet, metallum hoc in nullo alio, quam corrosivo menstruo ita solvi posse, ut potabile fiat. *Quia enim substantiæ auri a natura tam perfecte unitæ sunt & combinatæ invicem, ut nulla potentissimorum corrosivorum violentia intime dirimi ab invicem possunt: admodum ridiculum est & vesaniæ proximum, velle cum menstruo insipido non corrosivo, sed qualitatibus auri proportionato, vel essentiam, vel Tincturam ex auro extrahere.* (*y*) Quod vero menstrua corrosiva attinet, a quibus tantopere sibi metuunt, ea, lege artis a corpore metalli separari possunt, ita ut tuto cuilibet propinentur. Ita enim alia etiam corpora metallica, magni in medicina usus, solvuntur, & affundendo aquam simplicem edulcorantur. Præterea quoque, non omnia corrosiva, ex quibus menstrua hæc parantur, corpori nostro adeo infesta esse, dici potest. Quis enim ignorat, acetum aliasque res acidas nos condimenti loco usurpare, & ad sustentandam vitam esse maxime necessarias, quæ tamen subjecta re ipsa corrosiva sunt (mitiora tamen) nam non tantum perlas, conchas, corallia solvunt, sed & plumbum, chalybemque corrodunt. Menstrua vero corrosiva ad aurum solvendum esse necessaria, ipse Paracelsus perspexit, dum monet: *z) quod autem*

(*y*) Ang. Sala Chrysol. p. 144. porism. 3.
(*z*) In fragm. ad libr. de gradat. & composit. fragm. 2. de præparatione & administratione remediorum.

autem ex metallis est, id hac via tractari debet, ut metalla resolvantur in liquorem per salina & ut in corporibus suis maneant, quia corpus illorum mercurius est & est eorum vis. Quare non debet quæri modus quintæ Essentiæ extra corpus, sed corpus est id ipsum. Qui ita corrosivis utuntur, vel simplex illud atque usitatissimum menstruum Aquæ Regis adhibent, vel idem adhuc magis acre reddunt, addendo scil. aquæ fortis unc. VIII. Sal. ammon. & Nitr. dep. ana unc. III. Alii alio etiam & peculiari modo, scopo huic inserviens menstruum parant. Ita quidam primarium menstrui requisitum in eo ponunt, *ut sit instar ignis: nam ut ignis diuturnior ferrum, cuprum, plumbum in pulverem redigit, eodem modo hoc menstruum, Sulphur philosophicum in alkohol convertit & ipsum menstruum aurum philosophicum in alkohol vertendo, transit ipsum in alkohol auro simile &c.* (*a*) Talia etiam menstrua fortia apud Cassium (*b*) descripta videri possunt. Cum vero multi, inter quos primus quasi Paracelsus notari meretur, viderent, irritum hunc laborem esse, per menstrua etiam corrosiva, aurum ita solvere velle, ut nullo modo reduci possit, excogitarunt menstruum quoddam universale. Quod an unquam in rerum natura extiterit, & non potius ens rationis sit, admodum dubito.

§. VIII.

Mediantibus ergo his menstruis aurum nondum in principia sua, vel, ut in Scholis Chymicorum loqui amant

(*a*) Vid. Hanemanni Xystus.

(*b*) in tract. de auro potab. qua de re etiam consuli possunt Illustr. Stahlii fundam. chym. p. 174. seqq.

mant, radicaliter resolutum est, ita ut amplius in pristinam formam reduci non posset; sed in minimas tantum particulas discontinuatum. Ulterius itaque labor a chymicis continuatur, isque multifariam. Purgato enim atque calcinato sic auro, volatile id reddunt, ita quidem, ut beneficio debiti cujusdam vehiculi per alembicum destilletur & abstrahatur. Vehiculum tale præbet oleum antimonii glaciale, Spir. Nitri bezoardicus, Spir. Sal. Spir. vin. Sale urinæ acuatus, quæ singula calci affusa toties ab eadem cohobantur, donec in formam liquidam sit redacta. Parari etiam solet Tinctura auri, calcem ejus cum simili quodam liquore, per certum temporis spatium digerendo, quo decantato, in fundo vasis sub forma olei rubicundi remanet, in quovis menstruo solubili.

§. IX.

Hunc igitur in modum aurum in formam liquidam atque potabilem redactum, medicinam illam sic dictam universalem constituit, quæ a filiis sapientiæ tot tantisque laudibus ad cœlum usque evehitur, cujus encomiis tot volumina scatent, ob singulares ejus ac plane divinas virtutes, quas possidere perhibetur. Et licet labor hic tam arduus periculique plenus sit, ob magnos sumptus, diligentiam indefessam, vigilantiam, patientiam, scientiamque in rebus chymicis non exiguam, imo ob eventum ipsum incertum sæpiusque contrarium; semper tamen inventi fuere & adhuc inveniuntur, qui eundem in se suscipere non abhorrent, magis tamen marsupium proprium quam salutem proximi respicientes atque cu-

rantes. Sed quales progressus laboratores ejusmodi, scripta ut plurimum antiquorum obscura pro norma seligentes, in labore isto herculeo, faciant, quidve obtineant, tristia exempla ubivis obvia satis superque testantur. Hinc enim apud multos tot quaerelæ audiuntur, tot lacrymæ funduntur, plurimi in exilium abire atque mendicando vitæ prospicere coguntur, alii vero fata deceptorum experiuntur. Ast, cum mihi, artificum istorum statum deploratum, pluribus exponere hac vice non sit concessum, ad illos transeo, qui vere medicinam hanc per longum laborem consequuti sunt, paucisque commemorabo quales nam virtutes ei adscribant. Omnes in eo conveniunt, eandem Tincturam auri differre virtute ab auro crudo, raspato, aut in folia diducto. Virtus enim, quam possidet nec auro, nec menstruo solo adscribi poterit. Non menstruo solo: menstruum quippe cum diversis corporibus conjunctum, diversas quoque proprietates nanciscitur. Neque putet quispiam, tertium ex duobus hisce emergens, a parte quadam auri essentiali provenire e. g. a Sulphure ejusdem, beneficio menstrui extracti, cum eodemque combinati. Si enim hoc locum inveniret, calx auri, amissa hac parte corporis sui nobilissima, nulla arte reduci posset, cum tamen experientia contrarium nos doceat. Potius itaque statuendum est, menstruum uniri cum toto auro, non cum Sulphure ejusdem seorsim. Falluntur hinc plurimi qui putant Tincturam suam aureo Colore tinctam a Sulphure extracto provenire, cum tamen cogitare deberent, multa menstrua dari, quæ sine ullo additamento rubicundum adipiscuntur colorem: ex quibus unicum saltem

exem-

exempli loco adducam, Spiritum ſcilicet therebinthinæ. Inſignes vero virtutes, quæ auro potabili adſcribuntur hinc inde legi poſſunt. Lubet nunc unicam ſaltem deſcriptionem medicamenti ejusmodi e ſcripto quodam (c) D. Joh. Henr. Bollmanni Phyſici Qvedlinburgenſis apponere, in quo ſequentem in modum diſſerit: *Aurum eſt Ignis terrenus, puriſſimus efficaciſſimusque humano generi, tum ſanitatis conſervandæ, tum ægritudinum quodvis genus educendi, ſuppeditans theſaurum. Auri poculenti ſive ſpiritualis vis, energia ac potentia eſt ſtupenda, cum ſit omnium pharmacorum alexipharmacum primum atque ſtupendum. Auri virtutes ſingulares admirari indagareque ad hominis incolumitatem obtinendam, inter cætera divini opificis opera licet. Aurum ſpirituale in corpus aſſumtum, non poteſt niſi corporis noſtri elementa & humores ad temperiem reducere, ſuperfluos ad æqualitatem & diminuatos reficere, putrefactiones omnes tollere, atque amica unione calore reficere, ſangvinemque expurgare, augereque, nec ſolum ægritudines ſanare, ſed valetudinarios longævos reddere. Aurum vivificatum vires auget, illudque robuſtum reddit, fæces exſiccat, demit ſangvinis ſuperfluitates, ac ſuo ſplendore ac claritate exhilarat, illuminat, ſpiritus confortat, ſuo temperamento temperat & ab omnibus morbis præſervat, ſua munditie ac puritate mundat. Aurum, quando ex illo Spiritus vivificans, anima ſeu radii tingentes ſunt educti, peſtem e veſtigio fugat ac virus ejus omne in momento eximit. Aurum ſi induſtria atque arte tractetur, in liquorem diffluit, ejusque anima ſeu*

(c) de duplici Oleo Auri, an. 1716. vulg.

lux, Spiritus vivificans, nullo auro conferendus, una ellicitur. Corpora nostra tutius ab omni corruptela servari non possunt, quam alexipharmaco Solari, in quo est lux naturæ cælestis, atque in luce labor, viresque vitæ efficacissimæ. Aurum in Sulphur temperatissimum & vivificum convertitur. Aurum in primam suam materiam resolvi debet, nam nisi resolvatur impossibile erit, ipsum in humano stomacho posse digeri. Auri debet fieri animatio, vivificatio, spiritualisatio & dissolutio. Aurum oportet radicaliter dissolvi. Ab aliis porro ei adscribitur vis diaphoretica, juvenibus vitam longævam expetentibus, commendatur, ut & senibus, quos viridi juventuti restituit, virgines & fæminas vegetas & formosas conservat, mensium fluxum emanentem revocat, partum promovet, & quæ sunt id genus alia. *(d)*

§. X.

Quemadmodum autem multiplices & variæ virtutes medicæ huic universali adscribuntur, ita non minus in tradendo modo ejusdem operandi, opiniones authorum variant. Quidam potentiam occultam auro inesse putant, quæ magnetice in actum deducitur. *Aurum* enim *cum sit metallum omnibus suis partibus temperatissimum in quo manifestarum qualitatum nulla prædominari animadvertatur & quod cor confortet id non ab aliqua evidente qualitate provenit, sed omnium Hermeticorum consensu, & hæc ejus proprietas αὐτοφυής, specifica, magnetica, occulta â forma vel tota potius substantia originem referens. (e)* Alii ex

(*d*) Vid. Hadr. a Mynsicht. Armani. Med. Chym.
(*e*) Ang. *S*ala Chrysol. suæ sect. II. Part. II. p. 235.

ex ſymboliſmo ejusdem cum Sole derivant, ita quidem, ut veluti a Sole totius univerſi conſervatio dependet, ita aurum cum eo Symbolizans microcoſmum conſervat. Ipſam etiam calcem auri, ſive aurum fulminans ob analogiſmum quendam in corpore noſtro operari. Quemadmodum enim ajunt, in aëre macrocoſmi a calore externo in actum deductum, deorſum verſus impetum ſuum exercet, ita a calore interno in ipſius microcoſmi aërem agit, fœcesque per alvum educit. *(f)* Alii denique argumentum ſuum deſumunt a perfectiſſima auri mixtione, & quod omni corruptioni reſiſtat, hinc medicamentum quoque ex eo confectum ejusdem eſſe indolis ab omnique corruptione corpora tueri. *(g)* Plurimi vero in ea opinione verſantur, aurum potabile in humores noſtri corporis agere, ita, ut illi, qui menſtruum calci auri affuſum, a Sulphure ejusdem tingi credunt, ſtatuant, Sulphur hoc extractum ſangvini aſſociari, virtuteque ſua balſamica eundem purificare.

§. XI.

Sed miſſis aliorum opinionibus, ut de propria ſim ſolicitus, utque declarem, quantum auro ſive in ſubſtantia, ſive in forma liquida aſſumto, ſit tribuendum, mihi jam incumbit. Omnem qua propter vim atque efficaciam, ipſi etiam auro crudo, denegare minime poſſum. Proſtant quippe obſervationes fide digniſſimæ, quæ teſtantur, manifeſtam utique efficaciam ab ejusdem uſu fuiſſe conſpectam. Ita legimus apud Ettmullerum *(h)* hypochondria-

(f) Idem in proceſſu de auro potab. p. 274.
(g) vid. *Stahlii* fund. Chym. p. 169.
(h) In comment. Ludoviciano p. 499.

co melancholicum globo aureo deglutito fuisse curatum. Vulnera aureo quodam instrumento inflicta, nullum post se trahere inflammationem, experientia sæpius iterumque compertum est. Neque omni virtute destitutum esse videtur aurum in folia diductum, variisque compositionibus additum. e. g. pulveri Marchionis, rubro Pannonico, Sabaudico, analeptico frigido, contra abortum. Participant quoque de eodem aurea alexandrina Nicolai, aqua Carbunculi & aliæ compositiones quam plurimæ, quæ partim in dispensatoriis partim apud authores ipsos descriptæ inveniuntur. Non vero ab omnibus hæc approbantur. Sunt enim quidam Medicorum, qui auro crudo, raspato, aut foliis ejusdem omnem virtutem denegant. Inter quos inprimis Zwelfferus notari meretur. Penotus *(i)* in illos, qui talia usurpant, sequentibus verbis invehitur: Ihrer viele lassen sich auch nicht allein von denen Land-Pfarrern und Qvacksalbern, sondern auch von denen Herrn *Medicis* überreden, daß sie das Gold fein klein gefeilet einnehmen, gleichsam ob sie Straußen Magen hätten, und wie derselbe das Eisen, sie auch das Gold darinne zu verdauen vermöchten. Etliche lassen sich auch gelüsten, in etlichen ihrer Art an denen fürnehmsten *Electuariis* und andern vielen *medicamentis*, als in *Dithamaro*, nach der Beschreibung des *Nicolai*, *Elect. de gemmis*, *lætitiæ Galeni confectionibus Cardiacis*, sowohl auch denen *aureis alexandrinis*, nicht allein das Gold an sich selbst zu essen, sondern man solte und müste auch aus güldenen Geschirren dasselbe essen und trincken. Hæc autem me non movent, neque eo adducere possunt, ut non credam, aurum in substantia, nullo adhuc modo immutatum, alicujus in medicina usus posse sed & revera esse.

Quis

(*k*) In Theophrasti Vade mecum p. 62.

Quis enim ignorat, limaturam martis tantæ virtutis esse, ut in multis affectibus eximium auxilium adferre, quotidie cernatur. Et licet in superioribus a me sit demonstratum aurum nullo menstruo vere & radicaliter solvi posse, ideo tamen, ut & alia corpora, sine ulla deperditione substantiæ suæ manifesta, in corpus nostrum agant. Ita vitrum antimonii millenas etiam affusiones admodum emeticas efficit, cum tamen nec pondus quidem grani ei decedat. Magisterium seu calx auri, solutione in aqua regia & præcipitatione per ol. tartari per deliq: obtenta, virtutem possidet catharcticam, diaphoreticam, ad gr. iij. vel iiij. exhibita. Præcavet præterea convulsiones potentissime. (*k*) *Si* ergo aurum adhuc crudum talia præstat, quid non expectandum erit, si per alia admixta, ita adaptetur, ut tertium quoddam inde resultet, multis egregiis virtutibus præditum. Hinc medicamenta Solaria quæ hodiernis practicis in usu sunt, laude sua non destituuntur. Essentiam qua propter dulcem in multis convenire morbis diffiteri nemo poterit. In illis autem præcipue morbis, qui a motibus spastico-convulsivis proveniunt, egregiæ est efficaciæ. Conducit quapropter in catalepsi, convulsionibus, diarrhœa, hæmorhoidibus suppressis, mania, melancholia, volvulo, palpitatione cordis &c. Non est autem necessum, ut modum operandi auri, medicamentorumque ex eo paratorum, a potentia quadam occulta derivem, quæ magnetice, aut ob symbolismum, quem cum sole aurum habere dicitur, in actum deducatur. Res enim luce meridiana clarior est, ea unice in genus nervosum agere. Hinc neque in humores corporis nostri, uti quidam volunt, immediate operatnur, sed quatenus tunicas vasorum sangviferorum nerveas leniter adstringunt simulque confortant.

§. XII.

Jam vero super est, ut demonstrem, existentiam Panacearum, rationi & experientiæ repugnare. Si itaque sapientissimo creatori placuisset, thesaurum talem Pan. medicamenti, contra omnes causas morborum, in ipso auro recondere, quid opus fuisset,

(*k*) Neuter Fund. med. prax. Special. Tom. II. p. 931.

fuisset, amplissimo illo apparatu medicamentorum ex tribus regnis desumtorum, ab eoque humano generi concessorum. Cui prodesset comtemplatio corporis humani, theoria hominis sani, historia morborum, notitia virium medicamentorum & aliorum in medicina scitu necessariorum, si brevissima tali facillimaque via sine ullo respectu ad causas morbificas, omne genus morborum curari posset. Cum vero fundamenta medicinæ triplicem fontem morborum nobis monstrent, ipsa quoque medicamenta illis erunt accommodanda. Omnis enim causa morbifica respicit vel partes fluidas, vel solidas, aut ipsos motus. Ad partes fluidas præcipue refertur sangvis & lympha, qui humores vel abundantia vel defectu, vel intemperie peccant. Sangvis abundans facile spissitudinem contrahit, congestiones & stagnationes causat, stases, imflammationes, infarctus, scirrhos & exulcerationes producit. Serum & lympha causam morbis præbent, fluxu, suppressione, stagnatione & corruptione sua. Partium solidarum vitia, vel in conformatione læsa, vel in unitate soluta consistunt. Motus præterea vel excedit, vel deficit, vel inordinate procedit. Pro diversitate itaque causarum istarum diversæ etiam indicationes sunt formandæ. Ita, ubi humores abundant, evacuari debent per V. S. scarificationem, purgantia, vomitoria, remedia diuretica, diaphoretica, errhina, expectorantia, vesicatoria, fonticulos, setacea. Deficientibus, nutrientia in usum trahuntur. Depravati vero per alterantia corriguntur. Partes porro solidæ læsæ remediis e fonte Chirurgico desumtis curantur. Motus denique excedens sedandus, deficiens excitandus est. Jam quæso dicat mihi quis, qua ratione possibile sit, unico remedio, omnibus his indicationibus admodum diversis satisfacere. Certum itaque stabilitumque manet Patronos Panacearum oleum operamque perdere, dum labori huic inhiant. Natura enim nostra in statu etiam morboso ordine sibi consveto tractari vult, Lubet itaque coronidis loco, verba Excell. D. D. Quellmaltz Præceptoris mei æternum colendi, in collegio practico sæpius iterumque prolata, repetere, nimirum: bonam methodum optimam esse Panaceam.

F I N I S.